

et beatorum petri et pauli apostolorum eius auctoritate confisi, Quadraginta dies de iniunctis sibi penitenciis annis singulis relaxamus. Datum

På frånsidan, med 13-hundratalets stil: vacat.

Sigillet skadadt.

1716.

1280 d. 15 Febr.

Wexiö.

Ärkebiskopen Jacobs m. fl. intyg om deras med Biskop Ascer i Wexiö anställda laga undersökning, rörande den snikenhet och okyskhet, hvarföre han blifvit anklagad och hvartill han äfven blifvit förvunnen.

A. 2.

Anno domini. M^o.C^oC^o.LX^oX^oX^o. Quintodecimo kalendas marcij exercentibus nobis uisitacionis nostræ debitum officium apud ecclesiam wexionensem, inuenimus quod dolentes referimus uenerabilem in christo fratrem et coepiscopum nostrum dominum ascerum super uariis et enormibus criminibus uidelicet lubrico carnis ebrietate assidua et simonia apud bonos et graues multipliciter infamatum. Vnde coram ecclesie nostre senioribus prepositis uidelicet andrea et iohanne, ac eciam domino Gerardo, cepimus ex officio nostro sicut debuimus diligenter super eisdem criminibus inquirere ueritatem, prefixo tamen prius termino ac eciam assignato volentibus ipsum super premissis aliquatenus accusare. sane dictus frater nostri conuentus a nobis qui ex officio nostro processimus quemadmodum premisimus contra ipsum, Conuictus fuit per testes idoneos et tandem in iure confessus, quod soluciones procuracionum a quibusdam ecclesijs sue diocesis contra statuta concilij lugdunensis receperat officio uisitacionis non impenso. Conuictus eciam fuit ac eciam in iure confessus se amplius quam taxatum fuit in prouinciali concilio Telgis in expensis procuracionum recepisse. Ceterum interrogatus a nobis sub debito prestiti iuramenti, confessus est in iure coram nobis, quod quasdam mulierculas carnaliter cognouerat postquam in episcopum assumptus fuit diabolo procurante ac eciam instigante, luciam uidelicet et ingigerdam solutas. Ceciliam uero ketilø et ingridam mariatas. Huic autem confessioni per ipsum facte interfuerunt una cum ecclesie nostre senioribus supradictis vddualus prepositus wexionensis, bowo, petrus et magnus eiusdem ecclesie canonici, Item de ordine predicatorum fratres thorstanus et thorirus, de ordine uero minorum frater Henricus domus ystaensis, quorum sigillis et signis presens scriptum ad cautelam fecimus communiri.

På frånsidan: quod ascerus wexionensis conuictus fuit de multis criminibus.

Ärkebiskopens stora sigill, skadadt, hänger under midten af brefvet; de öfriga på båda sidorna.

N. 1, 7, 9, 10 bortfallna, remsorna qvar; de öfriga 6 mer eller mindre skadade.